



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Tractatus De Censuris Romano Pontifici Reservatis**

**Ugolinus, Bartholomaeus**

**Venetijs, 1609**

Vers. Deprædantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

autem hic eum intelligo, qui impedimentum aliquod ponit, quo minus iter suum peragant, ut pote non sinendo per suum territorium ipsos transire, non sinendo equos eis commodari, pecuniam vel sibi debitam exigere, iuxta illud Terent. Detineo te hic fortasse. Hoc praemisso, iam regulam ponamus.

In excommunicationem hanc quoque incidunt, qui hos Romipetas ratione quapiam detinent. Quae regula eisdem modis, quibus superiores, declaratur, iam ad reliqua transeamus.

Ver. Capietes.

S. V. M. M. A.

Capietes romipetas in excommunicationem incidunt.

Hic quinta causa exprimitur, quamobrem Romipetas offendentes excommunicantur, scilicet ubi eos capiunt. Et quoniam quid sit Capere per se constat, ob eam rem regulam tantum ponamus.

In excommunicationem hanc incidunt etiam, qui Romipetas capiunt. Quae regula eisdem modis quibus superiores, declaratur.

Verf. Depradantes.

- 1 Depradari quid sit.
- 2 Depradantes romipetas in excommunicationem incidant.
- 3 Depradantes nuliones, qui ferunt res romipetarum, an in excommunicationem incidant.
- 4 Spolians romipetam, quem alius interficit, an in excommunicationem incidat.
- 5 Furantes aliquid romipetis an in excommunicationem incidant.

Hic sexta causa exprimitur, qua excommunicantur, qui Romipetas offendunt, scilicet ubi eos depradant, quam excommunicationem, ut dilucidio rem habeamus, praemittendum unum est, quid sit depradari. Depradari ergo nil aliud est, quam aperte per vim aliquid alicui auferre, ut habetur in Lexicon in verb. Prædo. Hoc posito, iam regulam ponamus.

In excommunicationem hanc igitur incidunt, qui Romipetas depradant, ut in uer sic. propro habetur. Et quoniam Bulla simpliciter loquitur, & non distinguit, ob eam rem nec nos distinguemus, argument. l. de pretio. ff. de publ. in rem act. Quare quaecumque res ipsis auferantur, in excommunicationem hanc auferentes incidant, uel igitur pecunia, vel pan-

ni, vel equi, vel serui, vel quiduis aliud ipsis auferatur, pœna hac auferentes obligabuntur. Immo & qui marito uxorem, filiosve auferet. Ad summam, quæ diximus in antecedenti Capite in ver. Spoliant, & hic pro dictis haberi uolumus.

3 At quid si quis prædetur Muliones, qui res Romipetarum ferunt, an in pœnam hanc incidet? Planè censeo & in hoc casu hunc in excommunicationem incidere, cum ea ratione Romipetas prædetur, & Romani Pont. mēs, atque intentio hoc uelit, ac sanè nonne absurdum esset principes viros, qui res suas in huiusmodi itineribus per alios ferunt, privilegio hoc carere? Cōcludo igitur in hoc casu Bullam locum habere. Excipio tamen, ubi muliones periculum huiusmodi in se suscepissent, nam quod tunc non ipsis dominis res pereunt, sed ipsis mulionibus, & ob id non spoliantur, ob eam rem nec tales depradantes in pœnam hanc incidūt, ex quo Bullæ uerba eis non conveniunt, argum. l. 4. Si tories. ff. de damn. infect. Contraria opinio tamen mihi uerior uidetur, nam res peregrinorum depradantur, esto periculum in se muliones suscepissent.

4 Quid itidem si quis Romipetam interficiat, alius uero interueniens mortuum spoliat, an in excommunicationem hic incidet? Neque hunc in excommunicatio-

nem incidere concludo, nam solum per Bullam punitur qui ui auferit, hoc enim significat uerbum illud Depradantes, ut præmissimus, at hic uis non inferitur, ex quo mortuus spoliatur, iure igitur pœnam hanc euadit, etsi alias punitur.

5 Quid demum de ijs, qui clam furantur? Neque hos in pœnam incidere censeo ob eandem rationem, quoniam ui non auferunt, sed clam, & ignorantibus dominis, quo casu uis nō inferitur, etenim Romanus Pontif. grassatores punire uoluit, qui in itinere insidiantur, & non res tantum, sed sæpius uitam auferunt, declarant hoc antecedentia, quæ uidimus, scilicet de his prædonibus agi, qui etiam interficiunt, mutilant, uulnerant, & huiusmodi alia scelera committunt. Sed iam ad alia ueniamus.

Verf. Et in ea morantes.

**H**ic offendentes Romipetas, dum in Vrbe morantur, aliquo ex dictis modis, in excommunicationem incidunt.

1 **H**ic excommunicantur si quis Romipetas, ac peregrinos offendunt, dum in vrbe morantur, ut in ver. proposito habetur. Et quoniam quæ diximus de antecedentibus, & hic locum habent, ob eam rem